

dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excelle-
lente divinaque ratione? Licet enim jam, remota subtilitate
disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem
rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas.

Cap. XXXIX. Ac principio terra universa cernatur,
locata in media sede mundi, solida et globosa, et undique
ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis,
arboribus, frugibus; quorum omnium incredibilis multitudo
insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas
perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus
viridissimos, speluncarum concavas amplitudines, saxorum
asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque
camporum: adde etiam reconditas auri argenteique venas,
infinitamque vim marmoris. Quae vero et quam varia genera
bestiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus
atque cantus? qui pecudum pastus? quae vita silvestrium?
Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores
terrae constituti, non patiuntur eam, nec immanitate bellu-
arum efferari, nec stirpium asperitate vastari; quorumque
operibus agri, insulae, litoraque colluentes, distincta tectis et
urbibus. Quae si, ut animis, sic oculis videre possemus,
nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret.
At vero quanta maris est pulchritudo? quae species universi?
quae multitudo et varietas insularum? quae amoenitates
orarum et litorum? quot genera, quamque disparia partim
submersarum, partim fluitantium et innantium belluarum,
partim ad saxa nativis testis inherentium? ipsum autem
mare sic terram appetens litoribus alludit, ut una ex duabus
naturis conflata videatur. Exinde mari finitus aér, die et
nocte distinguitur: isque tum fusus et extenuatus sublime
fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque
colligens terram auget imbris: tum effluens hoc et illuc,
ventos efficit. Idem annuas frigorū et colorum facit varie-